FIDEI CATHOLICÆ PROFESSIO

SUB AUSPICIIS

IMMACULATE CONCEPTÆ VIRGINIS MARIÆ

THEOLOGICÆ DISQUISITIONI EXPOSITA

A

P. APOLLINARE EVERMAN

ET

P. FORTUNATO SENTZE

Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Conventualium

Coloniæ ad Tumbam Scoti

Anno 1778

Die 13. Mensis Maji

Mane hora septima post Prandium medio secundæ.

Typis Balthasaris Wilms, in Plateâ Campanarum, vulgò *Klöcker-Gass.*

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

Ego firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur.

THEOLOGIA Ex græco sui nominis natales repetens est *Sapientia, qua fides Saluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur.* (a) II. Hæc quatuor officia sicut Ecclesiæ sunt simpliciter necessaria, ita Theologiæ generatim sumptæ necessitas facile concluditur. III. Theologiam Scholasticam licet non omnino necessariam, longe tamen utilissimam c. *Pseudoreformatos* defendimus. IV. Fontes Theologiæ sunt *Ratio*, & *Authoritas*, ex his promptuariis sua circa *Religionem* Theologus depromit argumenta.

RELIGIO REVELATA. I. Deo supremo omnium Domino debetur Cultus in- & externus, qui per solam Rationem determinatus *Religio naturalis* audit. II. Obligationi Religionis omnis homo utpote dependens indispensabiliter subjectus est c. *Machiavellum* Religionem Politiæ duntaxat gratia retinendam esse turpiter fingentem. III. Cum sola Ratio ad cultum Deo dignum determinandum ac finem ultimum consequendum sit insufficiens, id à Deo manifestari necessum fuit; existit ergo *Religio revelata* c. *Rousseavium*, &c. IV. Ex omnibus Revelationem jactantibus una tantum vera est a cunctis omnino admittenda. c. *Indifferentistas*. V. Hanc *Religionem Christianam* esse, a Christo traditam, evincunt motiva credibilitatis, suadet ipsa Christi Historia; igitur superstitio *Mahumetana* à Deo non est; moderna Religio *Judaica* cultus Deo acceptus esse desiit; *Idololatria* sua corruit absurditate. VI. Ex Religionibus nomine Christiano gloriantibus ea sola tenenda est, quæ doctrinam Christi inviolatam ex integro custodit, & certis insignita notis divinitatem suam comprobat. VII. His Religio *Romano-Catholica* sola præfulget; Ruit proin *Syncretismus* Novatorum Christo qua Doctori & Legislatori injurius.

S. SCRIPTURA. I. Hæc saltem quo ad sententias Scriptoribus Theopneustis à Deo inspirata c. *Spinosam*. II. Continet libros 45. V. & 27. N. T. quos a Tridentina synodo adornatus canon recenset, hos omnes sive proto- sive Deutero- canonicos *si quis integros cum omnibus suis partibus .... pro sacris non receperit, anathema sit.* (:b:) III. Ex latinis editionibus Trident. Vulgatam merito declaravit authenticam, quin tamen fontibus hebraicis & græcis suam ademerit authentiam. IV. Hanc in omnibus claram frustra clamant *Protestantes*; *sunt* enim *quædam intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles depravant in suam ipsorum perditionem.* (:c:) V. Hinc inculpata est providæ Matris œconomia, qua promiscuam hujus lectionem prohibet, *cum experimento manifestum sit, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri ob hominum temeritatem*; (:d:) Fallit ergo *Quesnellus*, dum lectionem scripturæ omnibus quovis tempore & loco tanto Zelo, non secundum Deum, commendat. VI. Pentateuchi author

thor est Moyses c. *Thomam Hobbesium.* VII. Epistolam ad Hebræos S. Paulus hebraice conscripsit. VIII. Epistola Christi ad *Abgarum* R. probabiliter genuina est.

TRADITIO. I. Præter Verbum Dei scriptum pari authoritate veneramur Verbum Dei traditum: *State & tenete traditiones.* (:e:) II. Has incorruptas servarunt conspirantes Ecclesiarum observationes, Scripta Ss. Patrum. III. Horum omnium consensus in materia fidei & morum infallibile præstat Argumentum. IV. Canones, quibus Traditiones divinæ ab apostolicis vel ecclesiasticis, Sacræ à Pharisaicis descernuntur, rogati exponemus.

ECCLESIA. I. Sicut *una fides*, ita una est vera Christi Ecclesia, extra quam *nulla Salus*, *una damnatio* (:f:) II. Hæc ut inveniri possit, certis & conspicuis characteribus illustris ac perpetuo visibilis esse debet c. *Luther & Calvin.* III. Rejectis obscuris Novatorum notis genuinæ sunt, quas Concilium CTanum assignat, ut Ecclesia sit *una*, *Sancta*, *Catholica*, *& Apostolica*, quas intemperans *Voltaerii & Baelii* crisis non obnubilat. IV. Coalescit non ex solis perfectis c. *Anabaptistas*, nec ex Solis justis c. *Novatianos*, neque ex Solis prædestinatis c. *Wicleffitas*, sed area est, in qua præter triticum sunt & paleæ. V. Nec deficit, nec deficiet unquam, nam *portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* (:g:) VI. Huic, quia *columna & firmamentum Veritatis*, (:h:) tribuit Deus donum *inerrantiæ* in proponendis rebus *fidei* & *morum*, sicut & in *factis dogmaticis.* c. *Jansen.* VII. Igitur non *Ratio* naturalis, nec *Spiritus privatus*, errorum infame monopolium, neque *Principes* aut *Magistratus* Sæculares, *ad* quos *palatia pertinent*, *ad Sacerdotem Ecclesiæ* (:i:) sed Ecclesia docens sive congregata, sive dispersa, est infallibilis *Judex Controversiarum.*

PONTIFEX, CONCILIUM. I. Christus *iturus ex hoc mundo ad Patrem* (:k:) suum in terris Vicarium constituit S. Petrum. II. Cui Primatum nedum *honoris*, sed & *Jurisdictionis* obtigisse ex apertissimis scripturæ testimoniis (:l:) discimus III. Cum vero Christus Ecclesiam suam fundaverit ad consummationem sæculi duraturam; planum fit, Primatum istum in legitimos Petri Successores Romanos Pontifices continua serie transfundi. IV. Petrum enim ultimis vitæ suæ annis Romanam rexisse Ecclesiam, eamque ibi suo sanguine purpurasse æque certum est, ac extitisse quondam in ea urbe *Julium Cæsarem.* V. Fatemur igitur cum Florentino *Romanum Pontificem in universum Orbem obtinere Primatum--- esse verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput.* VI. Hæc dignitas Primatus est *ab ipso Christo donata*, *a Synodis autem non donata*, *sed celebrata & honorata.* (:m:) VII. *Nec adversus Petram*, *nec adversus Ecclesiam portæ prævalebunt Inferorum* (:n:) Est proin Pontifex in decidendis fidei controversiis etiam extra Concilium Generale infallibilis. VIII. Primatus excellentia Pontifici jus tribuit convocandi, approbandi reprobandive Concilia. IX. Quorum necessitatem absolutam nunquam agnovit Ecclesia, utilitatem tamen comprobavit experientia. X. De jure convocandi sunt Episcopi, nedum ut con-

ſultores ſed & ut judices, *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* (:o:) XI. Generale Oecumenicum utpote univerſam repræſentans Eccleſiam in ſuis Definitionibus irrefragabilem habet authoritatem. XII. Frivolam ad hoc a Pontifice appellationem fœcundam illam hæreſeos nutricem deteſtamur.

SYMBOLA. I. Symbolum *breve eſt verbis ſed magnum in Sacramentis.* (:p:) Quatuor cum Patribus veneramur Fidei Symbola: Apoſtolorum, Nicænum, CTanum & Athanaſianum. II. Primum velut genuinum Apoſtolorum opus tuemur c. *Basnagium*, quemlibet tamen Apoſtolum proprii articuli ſui authorem eſſe non convincimur. III Quartum licet a RR. Criticis D. Athanaſio abjudicetur, Doctrinam nihilominus continet Doctrinæ hujus S. Doctoris conſonam.

(a) S. Aug L. 14. de Trin. c 1. (b) Trid. ſeſſ. 4. (c) 2. Pet. 3. (d) Reg. 4. Ind. (e) 2. Theſſ. 2. (f) Conc. Lateran. III. (g) Matth. 16. (h) 1. Tim. 3. (i) S. Ambroi. Ep. 33. ad Valentin. (k) Joan. 13. (l) Matth. 16. Joan. 21. (m) Nicol. 1. Ep. ad Mich. Imp. (n) Origines. (o) Act. 15. (p) S. Aug. Serm. 181. de Temp.

Credo in unum Deum.

ESSENTIA DEI. I. Exiſtentiam Dei argumentis variis in Philoſophia ſupponimus invicte demonſtratam c. *Atheos*, *Pantheiſtas*, aliosque inſipientes, *qui dicunt in corde ſuo: non eſt Deus.* II. Quam & fides docet: *accedentem ad Deum oportet credere quia eſt.* (:q:) III. Unus eſt Deus c. *Polytheiſtas*; *Pluralitas* enim *Deorum nullitas Deorum.* (:r:) Inſaniunt proin cum *Marcionitis Manichæi* plura rerum principia fingentes. IV. Eſſentiam ſuam Deus manifeſtavit Moyſi: *Sum*, *qui Sum* (:s:) juxta hebræum: אהיה אשר אהיה V. Qui Deum ens a ſe eſſentialiter exiſtens concipit, eum omnino illimitatum, adeoque perfectiſſimum intelligit; igitur immenſus eſt etiam quoad Subſtantiam c. *Vorſtium* & *Wolzogenium*; infinitus & immutabilis c. *Socinianos*, æternus c. *Gnoſticos*, & *Valentinianos.* VI. Deum membris corporeis circumſcribi *Antropomorphitarum* craſſa nimis idea erat; hujus erroris injuſte poſtulatur Epiphanius *à Joanne Hieroſol.* VII. Eſſentiam divinam ab attributis ſolo vocis Sono differre volebant *Aetius* & *Eunomius*, *Palamitæ* ſecundum rem diſcriminabant, hi per exceſſum, iſti per defectum peccabant; media tuto incedunt via, qui vel cum *Thomiſtis* virtualem, vel cum *Scotiſtis* diſtinctionem adſtruunt formalem mediam. VIII. Hanc qui *Gilbertinam* dixerit, audiat cl. P. Berti (:t:) *longe abeſt ab Hæreſi Gilberti Scotiſtarum Sententia*, *& qui conſentire affirmant, hi procul dubio decipiuntur.*

INTELLECTUS & VOLUNTAS DEI. I. Intellectum Deo abnegantes ſimiles ſunt iis, quibus non eſt intellectus, *omnia* enim *oculis ejus nuda & aperta ſunt.* (:u:) II. Unde Deus non Solum ſeipſum perfectiſſime comprehendit, ſed & omnia alia extra ſe tam poſſibilia, quam exiſtentia, præterita & futura clare cognoſcit. III. *Confiteri Deum & negare præſcium futurorum apertiſſima inſania eſt.* (:v:) IV. Novit itaque omnes actiones noſtras etiam libere

ponen-

ponendas scientia ut vocant visionis V. Scientia hæc libertatis creatæ minime est eversiva, sicut cum *Socino*, *Crellio* & aliis criminatur *Wicleffus* in Concilio Constantiensi damnatus. VI. Inest etiam Deo proprie dicta voluntas, vi cujus *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* (:x:) adeoque ad extra libere c. *Calvinum.* VII. Non omnis voluntas Dei etsi seria suum consequitur effectum: *mundare te volui, & non es mundata* (:y:) absoluta tamen & efficax semper impletur: *Voluntati ejus quis resistet?* (:z:) VIII. Voluntas hæc, qua *attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, (:a:) est summe etiam de minimis provida c. *Fatalistas.* IX. Serio *vult omnes homines salvos fieri.* (:b:) Peccavit hic post *Prædestinatianos* per defectum *Jansenius* misericordiam Dei ad solos electos restringens, per excessum *Pelagius* eam respectu singulorum æqualem faciens, siquidem sunt, quos Deus *prædestinavit, quos & vocavit & justificavit & glorificavit* (:c:) X. Gratis omnino ad Gratiam prædestinat Dei bonitas: *non est volentis... Sed miserentis Dei* (:d:) neminem, nisi legitime certaverit, coronat. XI. Crudelis est *Calvini* aliorumque *Ante- & Postlapsariorum* blasphemia Deum pro solo suo arbitrio sine ullo ad peccatum respectu quosdam æternis destinasse suppliciis.

(q) Hebr. 11. (r) S. Athan. Orat. c. idol (s) Exod. 3. (t) Tom. I. de Theol. discipl. (u) Hebr. 4. (v) S. Aug. L. de civ. c. 9. (x) Ephes. 1. (y) Ezech. 24. (z) Rom. 9. (a) Sap. 8. (b) 1. Tim. 2. (c) Rom. 8. (d) Rom. 9.

Patrem omnipotentem Factorem cæli & terræ, & in unum Dominum Jesum Christum --- & in Spiritum S. Dominum & vivificantem.

DEUS TRINUS. I. Incompreliensibile Trinitatis mysterium docet revelatio in Veteri Lege subobscura, in Novo Fœdere apertissima. II. Versus 7mus Epist. 1. Joan. 5. genuinus c. *Christoph. Sand.* huic mysterio luculentum suppeditat testimonium. III. *Unum* ergo *Deum in Trinitate* Personarum reipsa & non solo nomine & officio distinctarum c. *Sabellium*, *& Trinitatem in unitate* Essentiæ c. *Tritheitas veneremur* (:e:) IV. Vocem: ὑποστασις olim a quibusdam pro persona, ab aliis pro essentia sumptam fuisse observa.

OPERA AD INTRA. I. Pater Principium fons & origo, non tamen causa, nisi cum PP. Græcis mitius sumatur, aliarum Personarum a delirio *Patripassianorum* nullam Divinitatis jacturam est passus. II. *Filius a Patre solo est* non per creationem ut *Arius* blasphemat, sed per æternam & ineffabilem generationem. III. Hujus cum Patre consubstantialitas ex Sacris literis & Patribus Ante- Nicænis evincitur. IV. Unde vox: ὁμοουσιος ad prævertendas Arianorum fraudes in Concilio Nicæno merito consecrata & Symbolo inserta est. V. Spiritus S. cujus Divinitatem c. HH. vindicamus, non a solo Patre c. *Photium* nec a solo Filio c. *Macedonium*, sed ab utroque procedit. VI. Hinc illam additionem FILIOQUE Symbolo CTano recte insertam esse contendimus c. *Michaelem Cærular.* VII. Si tamen Spiritum S. a solo Patre procedere fingas, Filium non facies,

OPERA AD EXTRA. I. Deus perfectiones suas ad extra manifestaturus Universum hoc in tempore condidit. II Angeli & Homo creaturæ sunt inter opera Dei præstantissimæ, quas ut beatas redderet, bonitatis suæ Thesauris uberrime ditavit. III. Angelos existere ex fide novimus c. *Saducæos*. IV. Sunt Substantiæ natura spirituales; neque aliter sensit Concilium *Nicænum* II. assertum *Joannis Thessalon.* non rationem asserti probans. V. *Angeli Sancti per liberum arbitrium steterunt, cadentibus aliis per idem liberum arbitrium* (:f:) VI. Sancti in tres Hierarchias & novem Choros distributi *in cælis semper vident faciem Patris* (:g:) VII. Malis peccantibus *Deus non pepercit sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit*, miris sed veris modis igne corporeo *cruciandos* (:h:) & quidem in æternum c. *Origenist.* VIII. Dari posse pacta hominis cum dæmone probant variæ Leges tum Eccl. tum Civ. c. *Joannem Wier.* IX. Magos mira, non miracula, operari posse testatur *Exodus*; Apparitionem tamen 1. Reg. 28. *Sauli* factam magicis artibus non tribuimus, vere enim apparuit Samuel desuper Eccl. 46. laudatus, X. *Factus est primus homo Adam* (:i:) Præadamitis in fabuloso, unde orti sunt, *Isaaci Peyrerii* cerebro relictis. XI. In statu *Innocentiæ*, non *Naturæ puræ*, utut hic possibilis erat c. *Bajum*, *Jansenium*, &c. conditus variis prærogativis enituit. XII. Quas tamen invidia Diaboli sub vero serpente latentis deceptus per peccatum amisit.

(e) Symb. Athan. (f) S. Aug. L. de Corr. & grat. (g) Matth. 18. (h) 2. Pet. 2. (i) 1. Cor. 15.

Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine & Homo factus est.

DEI INCARNATI VERITAS. I. Ineffabilis hujus mysterii possibilitatem prænuntiavit Gabriel: *non est impossibile apud Deum omne Verbum.* (:k:) frustra igitur cum incredulis *Sociniani* Mysterium hoc ex principio contradictionis impugnare moliuntur. II. Licet sit undequaque convenientissimum, absolute tamen necessarium ne dixeris; *Stulti enim sunt; qui dicunt: non poterat sapientia dei hominem liberare, nisi susciperet hominem* (:l:) III. Existentiam præter alia credibilitatis motiva *Gentilibus* suadent Sybillarum Oracula a Ss. PP. laudata. IV. Ad *Judæorum* pervicaciam elidendam impleta sufficiunt Prophetarum Vaticinia. V. *Philolog.* In Vaticinio Jacobæo Gen. 49. per שבט denotatur Sceptrum seu regia potestas, אד-כי vertitur per donec, sensus dati nota hermeneutica est & מחקק dumque Masorethæ pro שלוה posuerunt שילה in Bereschit Rabba notarunt Judæi antiquiores שילה ipse est Rex Messias. VI. Theologorum circa hoc vaticinium sicut & supputationem hebdomadum Danielis diversæ opiniones desperatæ Judæorum causæ nihil prosunt. VII. Omnia, quæ de Messiæ ortu, vita, genere, morte & gloriosa resurrectione

rectione a Prophetis prædicta sunt ; JESU CHRISTO exacte conveniunt ; Is ergo Messias est. VIII. Confirmat hoc præclarum *Josephi* (:m:) de Jesu Christo testimonium, quod genuinum c. *Dupinium* defendimus.

PERSONA ET NATURA CHRISTI. I. Non est incarnata Trinitas c. *Triadopaschitas*, nec Pater c. *Patripassianos*, sed *solus Filius accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate naturæ, in eo, quod proprium est Filii, non commune Trinitati.* (:n:) II. Unicam in Christo Personam eamque divinam cum PP. *Ephesinis* agnoscimus ; Beatissimamque Θεοτόκον salutamus c. *Nestorium.* III. Hic canonice in Concilio Ephesino condemnatus est ; unde Æthiopem lavant, qui eum cum *Mosbemio* ab hæreseos labe purgare contendunt. IV. Duas econtra cum PP. *Chalcedon.* confitemur naturas ejus, qui etiam post adunationem *perfectus Deus est & perfectus homo* (:o:) V. Jure proin proscriptus *Eutyches* in Concilio Chalcedon. VI. Homo est ex Substantia Matris semper Virginis c. *Cerinthum*, ut probat Matth. recte provocans ad Cap. 7mum Jsaiæ הנה העלמה הרה וילדת בן in Sæculo natus. VII. Veram itaque Verbum assumpsit animam rationalem c. *Apollinarem*, verumque corpus non phantasticum, ut finxit *Manes*, non spirituale, ut Somniavit *Valentinus.* VIII. Propter exactam unionem datur in Christo vera Idiomatum communicatio c. *Nestorium* ; Eutycheticam tamen *Brentii* & *Ubiquistarum* penitus rejicimus.

DOTES CHRISTI. I. Christus Filius Dei non adoptivus c. *Felicem* & *Elipandum*, sed propritus : *proprio Filio suo non pepercit.* (:p:) II. Sicut duas agnoscimus in Christo naturas inconfusas & impermixtas, sic & cum PP. *Chalced.* salvas volumus utriusque naturæ proprietates ; duplex proin in ipso datur intellectus divinus & humanus. III. Hic perfectissima instructus fuit Scientia : *in ipso sunt omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi* (:q:] frivola igitur sunt *Gnosticorum & Agnoetarum* commenta. IV. Duplicem quoque in Christo Voluntatem & operationem cum PP. CTanis profitemur c. *Monothelitas : non sicut ego volo, sed sicut tu.* (:r:) V. Voluntas humana Christi perfectissima gaudebat libertate eaque indifferentiæ c. *Jansenium ; audi stulte : nondum venerat hora ejus, non, qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi.* (:s:) VI. Sanctitate fulgebat eximia tum substantiali, tum accidentali c. *Blasphemos.* VII. *Unde qui peccatum non fecit* (:t:) c. *Calvin.* peccare etiam non potuit. VIII. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* (:u:) vere ac proprie pro nobis satisfecit c. *Socinianos* satisfactione condigna, redemptione copiosa. IX. *Dedit redemptionem seipsum pro omnibus* (:v:) non solum electis, sed & reprobis c. *Jansenium*, cujus propositio 5ta merito confixa est.

CULTUS CHRISTI & SS. I. Christo Deo-Homini debetur cultus latriæ c. *Socinianos.* II. Ex eo, quod Christus Mediator noster sit, Sanctos non esse invocandos male concludunt *Heterodoxi.* III. Beatissimam Virginem Mariam

cultu

cultu Hyperduliæ c. *Helvidium*, reliquos denique cælites cultu Duliæ c. *Sectarios* pie venerantur Orthodoxi. IV. *Imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis necnon aliorum Ss. habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam firmissime assero* (:x:) c. Iconoclastas. Huic doctrinæ minime præjudicat Concilium Francofordiense.

(k) Luc. 1. (l) S. Aug. de agon. Christi c. 11. [m] L. 18. antiq. Jud. c. 4. [n] Conc. Tolet. VI. in def. fid. (o) Symb. Athanas. (p) Rom. 8. [q] Coloss. 2. (r) Matth. 26. [s] S. Aug. Tract. 57. in Joan. (t) 1. Pet. 2. (u) 1. Tim. 2. (v) ibid. (x) Profess. fid.

Et iterum venturus est cum Gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.

FINIS HOMINIS. I. Solus Deus appetitum creaturæ rationalis perfecte explere potest, hinc, relictis *Stoicorum*, *Ebionitarum*, *Epicureorum* ac *Libertinorum* deliriis, iste solus est finis noster ultimus & objectum nostræ beatitudinis. II. Perfectum hujus Beatitudinis statum consequemur in Patria per intuitivam Dei Visionem & fruitivum ejus amorem; *Homo* enim *consequitur ultimum finem cognoscendo & amando Deum.* (:y:) III. Hoc Deum videndi beneficium sicut non concedimus oculis corporeis c. *Antropomorphitas*, quorum Patronus falso fingitur *S. Augustinus* IV. Sic & denegamus intellectui creato sibi relicto c. *Beguard.* & *Beguin.* V. Huic tamen per lumen gloriæ elevato attribuit Christus c. *Armenos*: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (z) VI. Sed non nisi post mortem; *non enim videbit me homo & vivet.* (:a:) Unde Moysen & Paulum facie ad faciem Deum vidisse nulla ratio convincit. VII. Visio hæc beatifica respectu omnium æqualis non est c. *Jovinianum*; qui *parce seminat, parce & metet.* (:b:) VIII. Nulli creaturæ datum est comprehendere eum, qui *incomprehensibilis est cogitatu.* (:c:) c. *Eunomianos.* IX. Regnum *Millenariorum*, sive cum *Cerintho* turpiter fingas carnale, sive cum *Papia* decentius dicas spirituale, inanis fabula est. X. *Animas* enim *justorum corporibus exutas & purgatas in cœlum mox recipi & intueri clare Deum* (:d:) profitemur c. *Semi Millenarios.* XI. Quorum opinioni adhæsisse *Ss. Chrysosth. Ambros. August. & Bernardum* minime probatur. XII. Ad perfecte complendam Beatitudinem eveniet aliquando corporum resurrectio, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (:e:) XIII. Dotes corporis gloriosi, quas explanat Doctor Gentium Corinthiis (f) sunt claritas, agilitas, subtilitas & impassibilitas.

(y) S. Th. 1. 2. Q. 1. a. 8. O. (z) Matth. 5. [a] Exod. 33. (b) 2. Cor. 9. (c) Jer. 32 (d) Flor. sess. ult. (e) 1. Cor. 5. [f] 1. Cor. 15.

Omnia & Singula, quæ de peccato originali & de Justificatione in Ss. Trid. Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

PECCATUM HOMINIS. I. *Adam mandatum Dei in Paradiso transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisit* (:g:) II. Non

tamen

tamen sibi soli nocuit, sed *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum... in quo omnes peccaverunt*; (:h:) igitur velut malesanum execramur dogma, quod *antiqui satiatum felle Draconis pestifero evomuit coluber natione Britannus, Pelagius.* (:i:) III. Hic sui erroris Patronum vane postulat *S. Chrysostom.* IV. Peccatum hoc originis non est mala *Matthiæ Illirici* animæ in imaginem diaboli transformatæ substantia, nec perduellis *Lutheri* & *Jansenii* concupiscentia, sed ipsa Adæ prævaricatio ethice nostra, moraliter perseverans quo ad reatum passivum ad pœnam; *reatus ergo vitium tamdiu manebit, donec regenerationis lavacro abluatur* (:k:) V. Temere *Zwinglio-Calviniani* ab hoc Adæ peccato eximunt filios fidelium. VI. Nos hanc exemptionis prærogativam jure tribuimus Deiparæ, quam *decebat ea puritate nitere, qua sub Deo nequit major intelligi.* (:l:) Neque obstat si in Hebræo (:m:) legatur: הוּא VII. Pœna peccati hujus inter alias maxima est exclusio a regno cælorum; *nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* (:n:) VIII. Quo ad pœnam tamen sensus cum *S. Gregor. Nazian.* benignius de bonitate Dei sentire poterit Theologus. IX. Præter originale dantur quoque peccata personalia: *in multis offendimus omnes* (:o:) quæ non sunt omnia æqualia c. *Stoicos* & *Jovinianum*, *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (:p:) X. Causa Peccati non est Deus, ut cum *Manichæis* blasphemat *Calvinus*, sed liberum hominis Arbitrium, quod nedum a coactione, sed etiam a necessitate ad merendum & demerendum requirimus c. *Jansenium.* XI. Pœna peccati mortalis tum sensus tum damni æterna est: *discedite a me maledicti in ignem æternum* (:q:) XII. Quare *Trajani* Imperatoris ab inferis liberatio Eruditis passim fabulosa videtur. XIII. Animæ hic nondum plene purgatæ residuum sibi ex peccato reatum temporariis in purgatorio luent suppliciis c. *Novatores.* XIV. *Animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari* docet *Trident.* (:r:) XV. *Sanctam & salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare* credidit Synagoga (:s:) cujus textus authentiam perperam negant *Sectarii.*

GRATIA HOMINIS. I. Donum supernaturale ex meritis Christi creaturæ rationali gratis a Deo concessum, & ad æternam beatitudinem consequendam ordinatum *Gratia* dicitur, & varie dispescitur. II. Actualis ad omnes actus salutares c. *Pelag.* etiam ad initium fidei c. *Semipelag.* omnino necessaria est; *sine me nihil potestis facere* (:t:) III. Sine hac homo in accepta justitia diu perseverare nequit, nec graviorem tentationem superare, nec universa legis præcepta observare. IV. Minime tamen inde sequitur nullum opus moraliter bonum ordinis naturalis sine ejusmodi adjutorio perfici posse. V. Loco necessitatis gratiæ gratiam necessitantem invexit cum *Calvino Jansenius*, cujus doctrina, *quæ in Bajo avum, in Jansenio parentem, in Quesnello uterinum quasi germanum est consecuta* (:u:) merito reprobata est. VI. Contra quem tuemur in hoc statu naturæ infirmæ admittendam esse gratiam mere quidem sed vere sufficientem; *vocavi & renuistis* (:v:) VII. Gratia hæc, si suo frustretur effectu,

non est ex doni insufficientia, sed hominum reluctantia : *qui non veniunt*, *sua pertinacia reluctantur* (:x:) VIII. Præter gratiam sufficientem datur efficax, *qua non solum suadetur omne, quod bonum est, verum etiam persuadetur.* (:y:) IX. Infallibilem hujus gratiæ cum actu salutari connexionem ita adstruunt orthodoxi, ut libero arbitrio non nimium deferant cum *Pelagio*, nec id evertant cum *Jansenio.* X. Efficaciam ergo gratiæ male explicat *Calvinus* per motionem antecedenter necessitantem, neque melius *Jansenius* per delectationem superiorem cœlestem, cui in circumstantiis terrenæ inferioris resisti nequeat. XI. Sed consistit in auxilio quodam in tali temporis, loci, personæ &c. opportunitate dato, ubi liberum arbitrium sponte consensurum a Deo prævidetur.

JUSTIFICATIO HOMINIS. I. Hæc non fit per essentialem Dei justitiam, ut fingit *Osiander*, II. Nec per peccatorum occultationem, ut insanit *Lutherus*, III. Neque per extrinsecum Dei condonantis, aut non imputantis favorem, ut delirat *Calvinus*, IV. Sed per *Sanctificationem* permanentem, *& renovationem interioris hominis*, estque *Justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit*, ut docet Trident. (:z:) V. Dispositio ad justificationem in adultis necessaria, non est sola fides c *Heterodoxos*, sed & alii virtutum actus a Trident. (:*:) enumerati. VI. Sine speciali revelatione nemo de sua justificatione certus esse potest c. *Novatores* VII. Justificatus per opera bona vere & proprie mereri potest vitam æternam.

(g) Trid. sess. 5. in decr. de pecc. orig. (h) Rom. 5. (i) S. Prosp. carm de ingrat. (k) S. Aug. L. 2. de pecc. orig. c. 4. (l) S. Anselm. L. de Concept. Virg. c. 18. (m) Gen. 3. v. 15 (n) Joan. 3. (o) Jac. 3. (p) Joan. 19. (q) Matth. 25. (r) Trid. sess. 25. (s) 2. Mach. 12. (t) Joan. 15. (u) Branc. in Collect. posth. (v) Prov. 1. (x) S. Leo L. de vocat. Gent. (y) S. Aug. L. de Grat. Christ. c. 10. (z) sess 6. c. 7. (*) sess. 6. c. 6.

Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & Constitutiones firmissime admitto &c.

FIDES HOMINIS. I. Theologica Virtutum Trias locum origine principem cedit Fidei, quæ est *humanæ salutis initium & radix omnis Justificationis* (:a:) II. Hujus objectum materiale est omne à Deo revelatum, cui non improbabiliter adnumeratur effatum isthoc : *Pius VI. G. R. est Christi in terris Vicarius.* III. Formale est summa Dei loquentis authoritas fallere ac falli ubique nescia ; Ruit proin novitia articulorum in *fundamentales* & *non fundamentales* in sensu *Syncretistarum* & *Adiophoristarum* divisio. IV. Præter præceptum affirmativum datur quoque negativum de fide nunquam etiam externe solum neganda c. *Priscillianistas*, à quibus decantabatur impia paræmia : *jura, perjura, secretum prodere noli.* (:b:) V. Huic sicut non obstat factum *Naamani* (:c:) ita nec Historia de *idolotytis.* VI. *Libellatici etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt* (:d) VII. Quæ de *Regulis Fidei* hic desiderantur in fronte harum prælibavimus ; quare ultro reliqua Confessionis nostræ *Tridentinæ* asserta subjicimus : *S. Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia... Sanctam Catholicam & Apostolicam*

Romanam

Romanam Ecclesiam admitto, Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. VIII. Fidem excipit *Spes* Theologica, quâ vitam æternam & media illam consequendi ab omnipotenti & fideli Deo exspectamus. IX. Amor concupiscentiæ actus honestus est c. *Pseudo-mysticos* licet interessatus c. *Michael. de Molinos.* X. Ordine dignitatis supereminet cunctis virtutibus *Charitas*, qua Deum propter se & proximum propter Deum diligimus. XI. Purissimum *Quietistarum* amorem minime requirimus.

(a) Trid. sess. 6. c. 8. (b) S Aug. L. c. mend. [c] 4. Reg. 5. (d) S. Cyprian. in Epist. de lapsis.

Profiteor quoque septem esse vere & proprie dicta Sacramenta N. L. à Jesu Christo Domino nostro instituta &c.

SACRAMENTA. I. Cœlestis Samaritanus D. N. J. C. ablatis antiquæ Legis Sacramentis instituit septem alia *virtute majora, utilitate meliora & usu faciliora* (:e:) c. *Archonticos.* II Hæc non sunt nuda signa distinctiva c. *Socinum* aut Justitiæ per fidem acceptæ sigilla c. *Zwinglian.*; sed gratiam, quam significant, non ponentibus obicem infallibiliter conferunt & quidem ex *opere operato* c. *Novatores* novitatem harum vocum inepte cavillantes. III. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis* (: non concionatoriis sed consecratoriis c. *Calvinum*:) *tanquam forma, & persona Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* (:f:) IV. Sacramentum proin mimice, irrisorie, jocose collatum invalidum dicimus c. *Lutherum.* V. cum quo in Trid. Synodo damnatum esse *Catharinum* aut ejus opinionem minime sustinemus. VI. Solus homo viator, non tamen quilibet cujuslibet Sacramenti Minister est c. *Lutherum.* VII. Nec defectus probitatis nec fidei in Ministro Sacramenta valore suo dejicit c. *Donatistas.* VIII. *Siquis dixerit in tribus Sacramentis: Baptismo, Confirmatione & Ordine non imprimi Characterem in anima... unde ea iterari non possunt, anathema sit* (:g:) IX. Errat ergo cum *Calvino Wicleffus* Characterem ut novellum Innoc. III. inventum proscindens.

BAPTISMUS. I. Hic à Christo verisimilius ante passionem institutus à Baptismo Joannis etiam efficacia longe diversus c. *Petilianum*, est *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* (:h:) II. Materia remota est aqua naturalis c. *Manichæos, Seleucianos* &c. III. Proxima est ablutio, modus abluendi sive per immersionem sive per affusionem disciplinæ est, justis de causis mutabilis & mutatæ c. *Græcos.* IV. Siquis igitur hæc verba: *nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. ad metaphoram cum *Calvino* detorserit, anathema *Trident.* in se retorquebit. V. Formam præscripsit Christus: (:i:) *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Unde Baptisma in solius Christi nomine collatum nunquam valuit, nec ab Apostolis collatum

 est;

est; neque obstat Nicolai I. ad consulta Bulgarorum Responsum. VI. Attamen Formæ conditionatæ verbis exprimenda vestigium occurrit Sæc. VIII. in statutis S. Bonifacii, ut refert *Pacherius*. VII. Subjectum Baptismi non sunt mortui c. *Gnosticos*, sed omnes homines vivi nondum baptizati etiam parvuli, c. *Anabaptistas*. VIII. *Minister ordinarius est Sacerdos... in casu autem necessitatis... etiam laicus vel mulier imo & Paganus vel hæreticus baptizare potest.* (:k:)

CONFIRMATIO. I. Factum, de quo Act. 8 indubias habet notas Sacramenti N. L. II. Immerito proin Confirmationem velut cæremoniam otiosam, & novum Melchiadis P. inventum exsibilant *Heterodoxi*. III. Circa materiam hujus Sacramenti nunquam ab Ecclesia facta est mutatio substantialis c. *Dalæum*. IV. Forma tam Latinis quam Græcis usitata certe est sufficiens. V. Minister Ordinarius est Episcopus c. *Photium*, minime Diaconus c. *Lucam Holsteinium*. VI. Presbytero tamen ministerium extraordinarium delegari posse suadet Praxis Græcorum, docet *Bened.* XIV. (:l:)

POENITENTIA. I. Post Baptismum relapsis, ut ut gravibus se sceleribus implicaverint c. *Montanistas* & *Novatianos* præsto est velut fractæ navis tabula, Pœnitentia verum Sacramentum à Christo institutum, (:m:) à Baptismo ejusque memoria distinctum c. *Lutherum*. II. Hujus materia proxima non sunt incussi conscientiæ terrores & fides in sensu *Lutheri*, nec mortificatio vitiorum, aut studium bene vivendi ad mentem *Calvini*; *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio* ex definitione Tridentini. (:n:) III. Contritio, si charitate perfecta sit, sine Sacramento hominem Deo reconciliat c. *Bajum*. IV. Attritio ex pœnarum metu concepta supernaturalis est & honesta c. *Quesnellum*, Hæc *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit* (:o:) V. Data est Ecclesiæ solvendi ac retinendi peccata potestas, non mere declaratoria sed vere judiciaria c. *Novatores* VI. Quare Confessionem auricularem primo ab *Innocentio* III. inductam, aut à *Nectario* abrogatam aut meram esse conscientiarum carnificinam nequiter mentitus est *Calvinus*. VII. *Debent Sacerdotes pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere.* (:p:) non enim cum reatu culpæ omnis quoque pœna remittitur c. *Novatores*. VIII. Pœnitentiam publicam, occasione hæreseos Novatianæ verisimiliter introductam, ad quatuor gradus, qui sunt *Fletus*, *Audientia*, *substratio & consistentia*, paulatim reductam, usque ad Sæc. XVI. in Ecclesia viguisse testatur Historia: *in publicis criminibus... jubemus ad antiquos Canones publicæ pœnitentiæ regredi* (:q:) IX. Formam, in qua præcipua vis hujus Sacramenti sita est, in illis verbis Ministri: *ego te absolvo* &c. positam esse innuit *Trid.*, unde solam formam deprecativam ante sæc. XII. in usu fuisse non arbitramur. X. *Falsæ sunt doctrinæ omnes, quæ ad alios præter Episcopos*

pos & Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt; (:r:) valide ergo Sacerdos licet malus c. *Waldenses*, invalidè Diaconus, c. *Morinum*, ut ut bonus hoc Sacramentum administrat. XI. *Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo* (:s:)

EXTREMA UNCTIO. I. Pœnitentiæ complementum *extrema Unctio* est verum ac proprium N. L. Sacramentum à B. Jacobo Apost. promulgatum c. *Calvinum*. II. Hujus materiam esse oleum ab Episcopo benedictum insinuat Jacobus, inculcat Traditio. III. Forma deprecativa tum Latinis, tum Græcis usitata certo est valida. IV. *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet* (:t:) Unde ritum Græcorum ungendi sanos sacramentalem non fuisse tuemur e. *Arcudium*. V. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos*, (:u:) non quilibet ætate senior c. *Novatores*. VI. *Nec refert, an unctio per unum aut per plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo.* (:v:)

ORDO. I. Ritus solennis instituendi veros Ecclesiæ Ministros non est iners solum cæremonia, sed verum Sacramentum c. *Novatores*. II. Hoc diversa apud Græcos & Latinos materia non diversificat c. *Schismaticos*. III. Ecclesia certum servat Ordinem Hierarchicum divinitus institutum c. *Bœhmerum*, *constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris* (:x:) IV. Ii tamen, *quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei* (:y:) Episcopi cæteris ordine ac Dignitate præeminent c. *Aerianos*. V. Quibus immerito S. Hieronymum adnumerat *Michael Medina*. VI. *Siquis dixerit Episcopos non habere potestatem ordinandi: vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem anathema sit* (:z:) VII. Ordinationes Anglicanas juxta Rituale Eduardi VI. factas ut irritas reprobamus c. *Anglos*. VIII. Legem tamen perpetui *Cœlibatus* Sacris Ordinibus ab Ecclesia omnino convenienter annexam esse defendimus c. *Protestantes*.

MATRIMONIUM. I. Honestatem Matrimonii legitime contracti c. *Marcionitas* docet Christus illud in L. N. ad dignitatem Sacramenti elevans: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia* (:*:) II. Matrimonii vinculum minime dissolvitur per adulterium c. *Sectarios*. III. Quibus nullo modo favet libellus repudii à Moyse concessus. IV. Impedimenta determinandi potestas pertinet ad Ecclesiam c. *Novatores*.

(e) S. Aug. L. 19. c. Faustum c. 13. (f) Flor. in decr. Eug. (g) Trid. sess. 7. can. 9. (h) Catech. Rom. (i) Matth. 28. (k) Eugen. IV. in decr. (l) Lib. VII. de synod. (m) Joann. 20. (n) Sess. 14. c. 3. (o) ibid c. 4. [p] ibid c. 8. (q) Synod. Colon. an. 1536. [r] Trid. sess. 14. c. 6. (s) Profess. Fid. (t) Flor. in decr. pro Arm. (u) ibid. (v) Bened. XIV. in Constit. *cum pastoralis* (x] Trid. sess. 23. can. 6. (y] Act. 20. (z) Trid. sess. 23. can. 7. (*) Ephes. 5.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum Sacrificium... atque in SS. Eucharistiæ Sacramento esse vere realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem... D. N. J. C. &c.

EUCHARISTIA. I. Christus præcipuo amoris sui monumento mansurus nobiscum usque ad consummationem sæculi, priusquam pateretur, instituit Eucharistiæ Sacramentum. II. In augustissimo hoc Sacramento Christum vere præsentem esse tum ex verbis promissionis (:a:) tum institutionis (:b:) ac perpetua traditione constat c. *Sacramentarios.* III. Porro Christus realiter præsens non per impanationem c. *Impanatores*, sed per veram *totius substantiæ panis in Corpus & totius substantiæ vini in Sanguinem conversionem* (:c:) c. *Consubstantiatores*, non in solo Sacramenti usu transeunter sed & extra illum permanenter c. *Bucerum.* IV. Recte proin in Sacrariis reservatur, recte fidelium adorationi exponitur c. *Novatores.* V. Sacramenti hujus materia non est ea, quam *perfectum esse Pascha existimabant Gnostici*, aut quam male adhibebant *Artatyritæ*, sed est *vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet & panis triticeus* (:d:) VI. Quem Latini optime adhibent azymum c. *Michaelem Cærularium.* VII. Promicat insuper in Eucharistia ratio veri Sacrificii, quod à Melchisedech præfiguratum, prædictum à Prophetis, ab Apostolo commendatum, in Ecclesia semper oblatum est c. *Novatores.* VIII. Ad hujus integritatem spectat utriusque speciei consecratio. IX. Non tamen obin Laicis communio sub utraque specie præcepta c *Petrum Dresdensem.* X. Quin potius communionis sub una tantum specie praxis usu primitivæ Ecclesiæ comprobata est c. *Calixtinos.*

(a) Jcan. 6. (b) Matth. 26. (c) Trid. sess. 13. c. 4. (d) Flor. in decr. pro Arm.

Cætera item omnia à SS. Canonibus & Oecumenicis Conciliis... tradita definita & declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia, atque Hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & rejectas & anathematizatas ego pariter damno rejicio & anathematizo.

HISTORIA. Ultimis hisce *Professionis Tridentinæ* verbis Historiæ ad Theologiam necessitatem non obscure insinuatam colligimus, unde præter alias sparsim insertas sequentes subjicimus Propositiones Historico-criticas: I. Initia Idololatriæ non ad Enos c. *Rabbi Maimonidem*, minus ad Moysen, sed ad *Nemrodum* Filium Chus referenda esse verisimilius existimamus. II. Tres Magos, qui neonatum adorarunt Christum, fuisse Reges seu Regulos ex Arabia felice tenemus. III. Christus ante mortem suam cum discipulis manducavit

ducavit Agnum paſchalem c. P. *Lamium*, uno eodemque cum cæteris Judæis tempore c. *Paulum Burgenſ.*, & quidem Luna 14. Menſis Niſan ad primas veſperas; has enim per hebr. בין הערבים ſignificari arbitramur. IV. Apoſtolorum Concilio Hieroſolymis celebrato præfuit Petrus, non Jacobus. V. Petrus licet à Paulo vere, non ſimulatorie reprehenſus, nec minimam tamen Primatus diminutionem paſſus eſt. VI. *Crit. Conſtitutiones Apoſtolicas* haud genuinum *Clementis* partum eſſe ex S. Hieron. advertimus; *Canones* quoque *Apoſtolorum* ab ipſis Apoſtolis conditos non eſſe fatemur, Libri tamen de Cœleſti & Eccleſiaſtica Hierarchia D. *Dionyſio Areopagitæ* adſcripti nullo ſatis certo argumento eidem ſurripiuntur. VII. *Zephyrinus* P. hæreſin *Montani* nec ſcripto nec facto docuit, ſuadet id Ipſius edictum, quo mœchos ad pœnitentiam invitat, quod carpit montanizans *Tertullianus*. (:e:) VIII. Fervida fuit contentio *Cyprianum* inter & *Stephanum* de valore Baptiſmi ab Hæreticis collati, palmam præripuit S. Traditio, cui Stephanus adeo conſtanter inhæſit, ut nullum Baptiſma probaverit niſi Evangelicis verbis conſecratum; comminatus Hic quidem eſt, ſed fulmen excommunicationis rebaptizantibus non intorſit. IX. *Marcellini* P. lapſum cum actis Synodi ſinueſſanæ ſuppoſititiis merito adnumerant Critici. X. Diſciplinam arcani primis Sæculis in Eccleſia ſervatam velut figmentum Catholicorum inepte traducunt *Proteſtantes*. XI. *Arius* legitime condemnatus eſt in Conc. Nicæno, cui per ſuos Legatos præfuit Sylveſter Papa. XII. *Oſius* vi tormentorum attritus ſenioque confectus ſecundam probavit Arianorum formulam; attamen eadem Hiſtoriæ monumenta, quæ nobis Oſii lapſum, unde lugeamus, enarrant, eadem reſipiſcentiam, unde lætemur, conteſtantur. XIII. Fruſtra in facto *Liberii* triumphant *anti-Pontificii*; Hic enim nulli unquam formulæ arianæ ſubſcripſit. XIV. PP. *Ariminenſes* etſi fraudibus Arianorum decepti oblatæ ſubſignaverint formulæ, intus tamen & animo Arianis neutiquam conſenſerunt. XV. Reſponſa *Siricii* & *Stephani* PP., quibus Baptiſmus in vino collatus probatur, ſpuria ſunt. XVI. *Pelagius* Gratiæ hoſtis infenſiſſimus callida ſcriptorum ſuorum interpretatione luſit PP. *Dioſpolitanos* errore facti, in errorem tamen juris non induxit. XVII. Pari fraude à Cœleſtio deceptus Antiſtes *Zoſimus* plane orthodoxus; *quidquid* enim *lenius actum eſt cum Cœleſtio, fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio pravitatis* (:f:) XVIII. Hæreſis *Prædeſtinatianorum* prima incunabula non invenit in Monaſterio Adrumetino, nec apud Maſſilienſes in Gallia, ſæculo tamen V. in *Lucido* Presbytero detecta eſt, num recruduerit in Gotteſchalco, diſputant Eruditi. XIX. *S. Cyrillus* ſicut oppugnator Neſtorii acerrimus, ita Catholicæ fidei aſſertor conſtantiſſimus neque prælusit Eutychi, ut fingit *David de Rhodone*, neque præclara ejus ſcripta ſapiunt Apollinariſmum. XX. *Joannes Antiochenus* perſonæ Neſtorii favit quidem, errori tamen nunquam adhæſit. XXI. Eutychianis non patrocinatur obtenta in

Epheſino

Epheſino Dioſcori latrocinio abſolutio. XXII. Sicut Oeconomia PP. *Chalcedonenſium* in cauſa *trium Capitulorum* non præjudicat Concilio CTano, aut viciſſim. XXIII. Ita nec culpandus *Vigilius* condemnationem eorundem Capitulorum œconomice differens, minus fautor Neſtorii compellandus. XXIV. *Quid autem & divinus Honorius ?* (:g:) Hunc ab errore Monothelitarum non ſolum vindicamus, ſed nec eorundem fautorem fuiſſe certo convincitur. XXV. *Joannes* XXII. ſententiæ Millenariorum neque quà Doctor Publicus fuit patrocinatus, neque qua Doctor privatus in eorundem errorem eſt prolapſus. XXVI. Sediſſe aliquando in Cathedra Petri Papiſſam fœminam fabula eſt fœminis etiam indigna. XXVII. Concilium *Tridentinum* eas habet conditiones, queis illud œcumenicum commonſtramus. XXVIII. Bullam *Unigenitus* ut fidei definitionem atque dogmaticam Regulam veneramur ; talis enim eſt Authoritatis, *ut nemo fidelium poſſit abſque ſalutis æternæ diſcrimine à debita erga illam ſubjectione ſe ſubducere aut eidem ullo modo refragari*, inquit G. M. Benedictus XIV. (:h:)

(e) L. de pudicit. c. 1. (f) S. Aug. L. 2. c. 2. Ep. Pelag. c. 3. (g) S. Maximus in Epiſt. ad Petrum illuſt. (h) in Encycl. ad Epiſc. Galliæ 1756. 16. Oct.

O. S. M. E. S. S.

Inches
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19